



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Caput XXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

CAPUT XXIIX.

De Oratione aspirativa.

Tertium istud est orationis genus, de quo agere nos oportet, quæ cum mentali convenit in eo, quod mente concipitur, & cum mixta in eo quod sæpius corde simul atque ore producitur; verum ab utraque secernitur in eo, quod verbis constat paucis, ac vivaciter in uno instanti versus cælum, instar sagittæ sive jaculi, vibratur; Ex quo fit ut oratio jaculatoria communiter appelletur. De ea hoc in capitulo dicemus: 1. quid sit aspiratio. 2. quomodo in corde producat. 3. qua ratione illam nobis familiarem reddere debeamus. 4. quinam inde fructus proveniant.

In quo oratio aspirativa cum aliis conveniat, & in quo differat.

Quare jaculatoria vocetur.

Distributio capituli.

Quid est aspiratio?

Est fervens elevatio mentis in Deum paucis comprehensa verbis, acriterque atque in momento temporis versus cælum evibrata, qua divinæ Majestati suæ bonos affectus, sanctaque in corde nostro concepta desideria significamus.

Definitio.

Est elevatio mentis in Deum, in quo convenit cum qualibet alia specie orationis; verum hæc, de qua agimus, est fervens, quia effectus est actualis charitatis, & quasi scintilla ex ardenti amoris divini in animo succensa fornace ejaculata.

Explicatio definitionis.

De Oratione

E
ia tibi
ere o-
o illu-
facere
tibi-
i sunt
inio-
verè
ecce-
uisset
lum:
debes
r tuo
ortis
con-
dige-
sum
hoc
laris
d me
no-
mibi
m te
ofsi-
ibus
per
es
EA.

*Differen-
tia collo-
quii &
aspiratio-
nis.*

Est *paucis comprehensa verbis*, quia dilata-
ta atque extensa non est, ut oratio mentalis,
sed anima unico verbo, quoad fieri potest, ex-
primit omnes cordis sui affectus. Quod si
quandoque paulò diutius veritatem aliquam
degustans, de illa amorosè confert cum Deo,
colloquium appellatur non aspiratio.

*Effectus
aspiratio-
nis.*

Est *vivaciter versus cælum evibrata*, quia
quasi sagitta est vehementer scopum versus im-
missa. Homo est quasi sagittarius, quia ja-
culatur, scopus, quo collimat, est Deus, qui
indubiè ictum excipiet, cui ipse sponte sua se
exponit. Verùm pro uno amoris actu ab ani-
ma versus Deum emisso, proque unico jaculo
in ipsum evibrato centum ipse remittit. Hinc
admirabilis exoritur pugna Deum inter &
creaturam, in qua Deus victoriam semper qui-
dem reportat, at non nisi in magnum emolu-
mentum creaturæ, quæ ubi amoris telo faucia-
ta fuerit, non potest, quin de illo indefinenter
cogitet, dieque ac nocte illi placendi deside-
rio conficiatur.

*Aspira-
tionis
exercitiū
magnam
in oratio-
ne men-
tali exer-
citationē
supponit.*

Oratio aspirativa hac ratione explicata non
videtur convenire nisi illis, qui magnos jam fe-
cerunt in oratione ac Dei amore progressus;
quoniam frigidiores ac negligentiores exerci-
tium istud impossibile existimant. Et verò
respectu ipsorum reverà ita est, donec seriò
orationi mentali addicti meditationis benefi-
cio mentem impleverint bonis conceptibus &
affectibus, ex quibus quoddam quasi confe-
cerint armamentarium, è quo postea ferventes
illas elevationes, affectuosas has aspirationes,
atque inflammata desideria illa depromant.

Evenire

Evenire nihilominus aliquando solet, ut Deus jam tum ab initio conversionis efficaciter moveat Novitios, adeoque fortiter eorum corda sibi conciliet, ut, siquidem commotionem istam sollicitè confovere, flammamque in ipsis ardentem nutrire velint, exercitium hoc illis facillimum evadat, paucisque illos diebus ad magnam virtutem perducatur.

Quomodo in corde producitur atq; efformatur aspiratio?

DUobus modis aspirationes istas in corde nostro concipimus. Primò per solum contactum atque afflatum Dei, qui nescio quo gratiæ suæ motu nos præveniens unico temporis momento recolligit omnes potentias nostras; intellectui nunciatum communicat aliquod lumen, quod egregiam aliquam nobis patefaciendo veritatem, voluntatem nostram confestim impellit ad producendum affectum veritati isti conformem, atque iste affectus ad Deum directus est aspiratio & jaculatoria oratio, de qua loquimur. Exempli gratia, si, nihil dum cogito, subito mens prævenitur atque illustratur quadam notitiâ, quæ ei dicit: *Deus te videt, singulariterq; sibi complacet in eo, quod oculos habeat in creaturis suis defixos: Et tu quid cogitas?* Mox voluntas huic lumen correspondens affectum aliquem cælum versus evibrans ait: *Quis sum ego, Domine, quia oculos in me tuos divinos defigis?* Aut certè: *Utinam mundus essem ab omnibus imperfectionibus meis, ut oculis tuis acceptior forem!* Aut denique: *Tu ubique me respicis,*
Domine

*Primus
modus fit
in nobis sine
nobis.*

*De
tione*

Domine, & quidē oculo supra modū attento!
Ego vicissim te in omnibus & ubiq³ intuebor,
volo enim, ut cor & cogitatio mea in te sit in-
cessanter defixa. Hoc primo modo aspiratio
 in nobis enascitur absque ulla arte atque in-
 dustria ex parte nostra, sed hoc ipso quod
 simpliciter afflatui & commotioni Spiritus san-
 cti obedimus.

Alter modus à nobis ampliùs dependet, est-
 que situs in eo, quod nos ipsi sollicitè, diligen-
 ter atque industriè connitimur, ut nos colligamus atque in Deum elevemus. Cui rei ne-
 cessarii non sunt magni discursus aut profunda considerationes, sed solùm, ut ex omni eo,
 quod nobis occurrit, occasionem captemus
 laudandi ac benedicendi Deum, aut certè re-
 vocandi in memoriam veritatem quandam
 aliàs cognitam ac bene degustatam, ad cujus
 intuitum voluntas non possit non rursus in-
 flammari. Exempli gratia: Audis quempiam
 enarrantem conversionem cuiusdam Hæretici
 aut peccatoris; concepta inde lætitia te urge-
 bit, ut Deum hac vel simili ratione collau-
 des: *Quantum gaudeo, mi Deus, de ista-*
rum conversione animarum! Eja, Domine,
hac ratione de omnibus inimicis tuis trium-
phum agas, eosque ad sanctam fidem tuam,
tuorumque sanctorum preceptorum observa-
tionem reducas.

Ubi vides aut ab aliis depingi audis mun-
 danorum vanitatem, ardoremque, quo vitæ
 præsentis delicias prosequuntur, dicere pote-
 ris cum sancto Augustino: *O si tales essemus*
amatores vitæ permanentis, quales homines
 sunt

sunt amatores vite fugientis ! Si vides Fratrem aliquem in sui humiliatione patientem , occasionem inde sumes excitandi aspirationem ac dicendi : Quantum tibi hic Frater meus hoc in statu placet , Domine , virtutis illius me quaeso fac participem.

Salutando aliquem Religiosum tibi obvium, vel certè ipsi colloquendo dices . *Domine, hic unus est ex predestinatis , quibus per tuam me gratiam associasti ? Aut certè : Ipsum honoro , Domine, quia tu ipsum amas. Aut denique ; Non video nisi unum hominem , attamen ipse solus non est , quia Angelus tutelaris ipsius à latere ejus est. Domine, ego & unum & alterum simul revereor & honoro.*

Ecce qua ratione ex singulis quibusque rebus occasionem captare possumus ad Deum nos elevandi. Quod si cui exempla ista nimis humilia videantur & abjecta , atque aspirationum argumentum nimis infirmum , noverit ille, de exercitiis interioribus ubi agitur, non tam esse connitendum , ut multum evehamur in altum , quàm ut in omnibus , etiam minimis atque abjectissimis , rebus cum judicio, prudentia , atque ad Deum respectu agamus.

At enim quæ diximus hæcenus, ea sufficere nullatenus existimato ; eâ quippe ratione si horâ integrâ nihil nobis occurreret , illam integram transigere absque ulla de Deo cogitatione possemus, id quod fieri nullo modo debet : hoc etenim aspirationum exercitium non eò solum respicit, ut illius beneficio in via

Finis aspirationis est, ut progrediamur, non verò dumtaxat

Dei

re
tione

*ut in via
perfectio-
nis conti-
nemur.*

Dei conservemur : Verùm etiam, & quidem multò ampliùs, ut in ea progrediamur, atque in Dei amore incrementa sumamus. Eapropter quàm fieri potest frequentissimè excitare nos ipsos debemus ad sanctos quosdam eliciendos affectus, ac præcipuè ad repetendos, & quasi ruminandos illos, quos in oratione matutina degustavimus, aut quibus aliquatenus commoti fuimus, uti mox dicemus.

*Perfectio
& con-
summatio
in exerci-
tio aspira-
tionis.*

Illis, qui in oratione ac Dei amore jam tum multum profecère, hocce exercitium fermè transiit in naturam. Adeoque inadvertenter quasi cor eorum, fornacis instar ardentis, nunquam cœlum versus ferventissimas aspirationes, quasi totidem scintillas, non emittit, proindeque quidquid agant atque ubi vis existant, sive intra sive extra Monasterium, diu noctuque, soli an in societate, in actione aut quiete semper in continuo sunt cogitatu sensuque de Deo. Illi loquuntur, plurimaque ardentia versus ipsum desideria destinant; non secus atque avarus; qui suorum amore thesaurorum impotenter accensus non potest, quin de illis continuò cogitet, corque suum in ipsis defixum habeat. Istis eapropter nullam præscribimus regulam aut industriam, quia illi ex se ipsis multò meliùs, multòque ampliùs faciunt, quam Regulæ quævis illis præscribere possent.

*Qua ratione aspirationum exercitio assue-
scere atq; illo uti debea-
mus.*

*Aspiratio
continua
constituit*

HAc in continua actualique conversatione affectiva cum Deo præcipuè consistit spiri-
ritus

ritus sacri Ordinis nostri, juxta illa nostræ sa-
cræ Regulæ verba: *Die ac nocte in Lege Do-*
mini meditantes. Vox enim *meditari* non
innuit, quasi semper considerandis ac pene-
trandis rebus divinis esse debeamus intenti;
hoc enim humani animi atque intellectus infir-
mitati impossibile est, sed per *meditari* intelli-
gere debemus affectionem cordis ac volunta-
tis ardorem, quæ non solum amando nun-
quam lassatur, sicut intellectus speculando fa-
tigatur, quin potius è contrario, quò amat
amplius, eo plus allectationis, voluptatis ac vi-
goris persentiscit ad magis magisque aman-
dum.

Qua in re profectò sacræ nostræ Religionis
spiritus longè sublimissimus est, quem proinde
Fratres nostri permagni facere debent, quia
optima hæc hæreditas est, quæ in mundo ob-
venire cui possit, vocatos videlicet esse nos ad
eum statum, in quo profitemur exercitium il-
lud, quod eximia est vitæ, quam Beati in cælis
ducunt, imitatio. Sicut enim Beatorum in
cælo vita sita est in continua Dei visione, in-
tensissimo amore ac laude, ita vita Religiosi
Carmelitæ in eo esse debet, ut semper & in
omnibus Deum intueatur, & cor habeat in
ipsum elevatum. Et quò noster in Deum amor
præsentior, verior atque indefinentior fuerit,
eò erit amor Beatorum similior.

Verum quidem est, hoc rectè requiri non
posse à Novitiis, optandum tamen esset, ut
illuc peringere connterentur, practicando
exercitia spiritualia præsentia Dei, quæ sequen-
tibus capitibus illis suggeremus: quorum,
veluti

principa-
lem spiri-
tum nostræ
Ordinis.

re
tione

Quo No-
vitii spe-
ctare de-
beant in
hoc exer-
citio aspi-
rationum.

veluti totidem graduum, beneficio & operâ, indubiè ad supremum eximiumque unionis intimæ atque amorosæ cum Deo pertingent fastigium. Et verò nunquid æquum est, saltem nos aspirare ad tantum amorem concipiendum erga Deum, quanto plures mundani feruntur in mortales creaturas, de quibus non possunt non diu noctuque cogitare? Et si quos etiam reperire est aliquando, qui ob amoris violentiam tabescunt, adeoque languescunt, ut etiam pro eo quod amant, mori desiderant; nos amore vulgari & mediocri in Deum nostrum contenti esse debemus? Præcipuè cum miseri illi atque insensati post mortem à creaturis, quas amant, sperare omnino nihil habeant, nos verò à divina bonitate expectemus felicitatem, lætitiâ & gloriam sempiternam. Atque ut paucis expediamus, quandoquidem videmus mundanos continuo vacare invocandis Diis suis, hoc est singulis pene momentis elicere desideria rerum caducarum, quas ferè usque ad idololatricam depereunt adorationem, uti divitiarum, honorum, voluptatum ac similibus; cur nos incessanter non invocemus Deum verum, quem adorare debemus in spiritu & veritate? Cur ad suæ Majestatis divinæ thronum ferventia vota, ardentiaque desideria ipsum continuo ac vigoroso amore prosequendi frequenter non emittamus? Non puderet nos minori in ipsum ardore ferri, quam homines hujus sæculi ferantur in commenticias hujus mundi divinitates? Quod si in veteri Lege mandavit, ut in Altari nunquam non esset ignis, quem Sacerdos studiosè

die
id
rial
ret
dis
nos
ject
ratio
strit
que
per
nun
C
mer
dent
bus
exig
cenc
re co
gens
defic
tion
brev
ad a
nion

E
mag
inqu
bene

diosè foveret, adjectis quoque manè lignis, id profectò non fecit, quod de igne materiali ei cura esset, sed potius ut nobis insinua-
ret, cupere se, ut sancti amoris sui ignis in cor-
dis nostri Altari continuò ardeat, illumque
nos quoque manè, orationis beneficio, ad-
jecto nutrimento alamus, atque etiam aspi-
rationum afflatu identidem impediamus ne re-
stringatur. *Ignis semper ardebit in Altari, quem nutrit Sacerdos, subjiciens ligna manè per singulos dies. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in Altari.*

Levit. 6.
12.

Quòd si igitur Novitii nondum sint è nu-
mero illarum fornacum ardentium, quæ ar-
dentis amoris flammis vivacibus ac ferventi-
bus aspirationibus indefinenter ejaculantur,
exiguam saltem in corde suo igniculum ac-
cendere sensimque amplificare atque adauge-
re conabuntur. Præsertim contendunt, ut in-
gens concipiant desiderium Dei, quod quidem
desiderium ferventer ac frequenter Deo, ora-
tionum jaculatoriarum operâ, expositum ipsos
brevis tempore, ac viâ multum compendiosâ
ad affectivam & continuam cum ipso Deo u-
nionem, qua de loquimur, perducet.

*Fructus ex aspirationum exercitio
promanantes.*

EA, quæ diximus hæcenus, satis esse de-
berent invitandis Fratribus nostris ad
magni faciendum aspirationis exercitium,
inque illud toto pectore, quod ajunt, incum-
bendum; at fructus, qui præterea ex illo indies

T

ani-

animabus obveniunt, amplissimi sunt, illosque ad ipsum consecrandum incitare debent quam vehementissimè.

*Primus
fructus.*

Primò aspiratio frequens cor nostrum convertit ad Deum, illique ipsum tenet alligatum certo quodam cum vigore ac dispositione ad generosè amplectendas quasvis obvias mortificationis ac virtutis occasiones. Qua enim ratione in occasionibus istis ab officio suo erga Deum descisceret, qui jamjam fidelitatem eius suam est contestatus? E contrario experimus plerosque defectus nostros oriri ex eo, quod neque ad Deum sumus, neque ad nosipos attenti.

*Alter
fructus.*

Secundò aspiratio frequens in certo quodam nos collocat statu, qui proximè accedit ad impeccabilitatem, cum nos adversus omnes Cacodæmonis tentationes invulnerabiles efficiat; qui etenim exercitio huic assueverit, intellectum habet tantoperè referatum, perspicacem & illustrem, ut frustrà ei Dæmones insidias ponant, quia ipse se in cælum mirà velocitate attollit. Id quod observavit Sapiens, atque sub avis figura exposuit, inquiens: *Frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum*: ita quoque Diabolus frustrà insidias struit animabus illis, quæ aquilarum instar in cælum a volant, quarumque conversatio magis in Deo, quàm in terra est.

*Prov. I.
17.*

*Tertius
fructus.*

Tertiò frequens aspiratio purificat mentem, nimiam in agendo celeritatem, ac naturæ ferventioris præcipationem cohibet, in omnibus sapienter & circumspectè procedere docet, ac saltem Religiosum assuefacit primis cogita-

gita-

gitationibus in Deum semper defigendis, atque ab ipso in omnibus petendo consilio, ne in quampiam rem leviter præcipitem se agat.

Tandem Seraphicus Doctor S. Bonaventura author est, cum Deus sit ignis consumens, tantum frigoris decedere, tantumque animæ accidere spiritualis caloris, quantum Deo per amorem propinquior fit: *Scintillantibus affectionibus, insatiabilibus desideriis, unitivis aspirationibus.*

*Lib. de
Theol.
myst. c. 3.*

CAPUT XXIX.

Methodus in orationis aspirati-væ exercitio servanda.

Primò assignabimus regulas generales in ipso observandas, deinde annotabimus aliqua puncta, in quibus quis posset deficere, ut caveantur.

Regula in aspirationum exercitio servanda.

Prima est; ut primo manè sollicitè seligamus exercitium aspirationum, cui die illo cogitemus insistere. Hoc est, ut nos muniamus aliquot cogitationibus sanctis atque ad aliquos bonos determinemus affectus, ut ubi de Deo nobis in mentem venerit, statim in promptu habeamus, quod ei dicamus; uti nobis commendat Isaias, ubi ait: *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei.*

*Seligere
aliquem
conceptum
& affectum.*